

» cum jam multis annis Ravennam inclytam civitatem Romanae  
» sedis per dolum et fraudem, nec non Cerviam civitatem prohi-  
» bito modo et illicito colore, illarumque oppida et pertinentias  
» usurparunt : et ne quid deesset ad cumulum male meritorum  
» suorum, mortuo Alexandro sexto etiam praedecessore nostro,  
» Ariminum, Faventiam et Sarsinam urbes S. R. E. illarumque  
» arces, oppida et omnem districtum multaque Caesentensis, For-  
» licensis et Imolensis districtuum oppida temeritate propria in-  
» vaserunt atque occuparunt. Et quamvis nobis hujusmodi occu-  
» pationem aegre ferentibus et graviter conquerentibus nostri pon-  
» tificatus initio aliqua ex dictis oppidis postmodum restituerint,  
» hoc ipso evidenter satis confessi injuste se omnia detinere, cum  
» maxime nulla retinendi urbes aliaque loca ratio subesset aut ex-  
» cogitari posset : ipsi tamen duro corde praedictas civitates et  
» reliqua perperam et impudenter retinere minimeque relaxare  
» voluerunt, immo a tempore occupationis et citra detinuerunt et  
» delinent de praesenti. Quos licet per processum qui singulis an-  
» nis in die Coenae Domini ex more romanorum pontificum legi  
» consuevit, tamquam occupatores et detentores praedictarum ci-  
» vitatum et locorum Romanae ecclesiae excommunicatos et ana-  
» thematizatos declarare et ab omnibus evitandos decernere ha-  
» ctenus potuissemus : tamen cum paterna pietate duces et reli-  
» quos praedictos, cum in minoribus ageremus, et nunc ad apicem  
» apostolatus eveci, in visceribus charitatis semper complexi fue-  
» rimus, curavimus omni studio et diligentia ut ad cor redeuntes,  
» nobis et matri suae S. R. E. obedientes se praestarent, animarum  
» suarum saluti occupata restituendo consulerent et hujus sanctae  
» sedis quae illis semper usui fuit et honori, auctoritatem cum  
» debita reverentia agnoscerent. Proinde per venerabilem fratrem  
» Angelum episcopum Tiburtinum, nostrum et apostolicae sedis  
» nuntium apud eos agentem, in zelo charitatis praedictos duces  
» et consiliarios moneri et requiri fecimus, ut occupata per illos  
» quae ad Romanam ecclesiam spectabant, videlicet Ariminum,